

EVS EDITORES
IACOBO PIGOŃ
ACADEMIAE WRATISLAVIENSIS
ERVDITISSIMO PROFESSORI
S. P. D.

Nomine non solum nostro sed omnium eorum quotquot hos commentarios legunt vel ad eos symbolas dant, maximas gratias tibi agere velimus, Iacobe PigoŃ, cum principalis „Eus” editoris munere fideliter per quattuor lustra perfunctus iam lampada tradis.

Tempore quo hoc officium administrabas, non solum summis integritatis academicae et elegantiae editorialis legibus paruisti, sed etiam societatem communemque studiorum et eruditionis amorem inter sodales aluisti. Ductu tuo „Eos” floruit et vixit apud Polonos ut princeps locus studiis classicis deditus, ubi et veteres et novi homines docti res suas indagationesque communicare potuerunt.

Labor tuus indefessus ac mira facultas pervestigandi mutationes, quas editio academica nostrae aetatis postulat, in annalibus „Eus” memoriam tuam perpetuam reliquerunt. Vere sumus tibi grati pro studio, prudentia, diligentia, quibus multum ad incrementum prosperitatemque commentariorum nostrorum contulisti.

Cum autem novos vitae cursus ingrediaris, valde speramus fore ut omnia tua consilia ex animi sententia succedant. Etsi tuo discessu huic capiti historiae „Eus” veluti finis imponatur, tua tamen auctoritas et vestigia venturis annis semper manebunt.

Gratias tibi agimus, Iacobe noster, quod tua opera tantum ad commentarios nostros contuleris.

Vale quam optime et de litteris antiquis praeclare promerere perge.